

XII

196

ut suae munificentiae & non ingratis musarum uoluntati pro tempore anni consulat. Vale. Et responde. Ex Mediolano. xvi. Kal. septēbres. M. cccc. Liiiij.

Franciscus Philelfus Bernardo Iustiniano sal.

n Ec tu mihi tuos cogitatus proximis litteris declarasti nec ego ex me illos potui coniectare. Sed quoniam a familiari quodam nunc rescivi uirum: quo de antea ad me scripseras: debere tibi pecuniam: te iterum aliter admonendum putavi eum esse soluendo non difficile: quantum tibi debuerit. Habet enim bona quae stabilia uocantur: permulta. Viuitque & uicitat lautissime. Itaque tibi non esse longius differendum censeo. Veni Mediolanum. Nam omnia tibi secunda futura sunt cum ob alias plerasque rationes: nam quia humanissimus hic princeps noster & uidebit te libentissime: & tuum ius omne suum ius esse existimabit. Praeterea (quod tibi ante significauimus) si minus abundas equis: hi mihi sex sunt: quos tibi quoque uolo esse communis. Vale Ex Mediolano. x. Kalendas Septembres. M. cccc. L.iiiij.

Franciscus Philelfus Bartholomaeo bucinio sal.

q Uod te mihi totum ostendis: & amice facis & recte. Nam cum in uiro bono: tum uel imprimis in amicitia nec simulatum quicquam nec dissimulatum esse oportet. Itaque uideamus ab Aristotele dari Socrati uitio: qui cum esset suae tempestatis omnium apud Athenienses doctissimus: & inter alienos diceret & apud suos se unum id scire quod nihil sciret: aliud uero nihil. Decet profecto quemquam ut mea tertio opinio: se talem omnibus illustrare: qualis sit. Ut fucata & conficta mulier grata esse non potest: ita etiam illa quae coloris bonitatem uenustatemque occultat in uitio esse consuevit. Quod si omni in re considerandum est: eo magis in amicitia: quae esse certe nullo pacto queat nisi omni ex parte pateat: perspicuaque sit. Egisti igitur pro officio: quod te proximis litteris non solum in cute (ut aiunt) sed intus quoque ita mihi te cognitum reddideris: ut ea quae oculis cernuntur: Delectat me sane ingenium tuum: delectat oratio: placet eruditio: preciosa est humanitas. Quod me uero ita laudas: ita obseruas: id exuberantem quamdam dilectionis

B iiiiij